

1355 ac tum demum Phalerius non Princeps amplius, sed Dominus salutaretur. Sunt qui tradant, statuisse eos, patricio nomine extincto, civitatis administrationem populo permittere. Verum enimvero Respublica quæ Deo optimo maximo charissima est, ac tam chara quando bene instituta est, ut omnium quæ in terris sunt, nihil credatur ei esse charius, quum non unam recipere possit administrationem, ut a Platone traditum est, ea quæ Aristocratia dicitur, tum illius summi viri, tum sapientissimi cujusque iudicio, ut optima, ita maxime probabilis semper est habita: ea quidem dici potest Optimatum conspiratio, huic videlicet simillima, quæ est & Veneti imperii administratio: sed ea ipsa cum sæpe alias, tum illa maxime tempestate, divina providentia evidentissime servata est. Nam unde minime sperari debuit, auxilium Patribus affulsit. Erat Beltrandus quidam, homo plebejus, ex principibus conjunctionis unus. Is pridie illius diei qui cædi destinatus erat, pœnitentia, credo, tanti sceleris ductus, ædes Nicolai Leonis, patricii hominis ac compatris sui, primis tenebris clandestine subiit, remque illi, summotis arbitris, omnem aperit: dicere se charitate patriæ, ac summi ordinis studio adductum, tantum scelus celare non potuisse. Mox principibus conjunctionis cum ipso Phalerio nominatis, rogare cœpit ut salutis suæ esse vellet memor, ne fraudi sibi postea daretur, quod in Patres ac patriam ab initio conjurasset. Obstupuit Leo, atque aliquantisper atrocitate rei stetit defixus: sed publici privatiue periculi metus haud diu illius animum passus est jacere. Cæterum domo egressus, confestim seniores Patrum, mox Decemviros, inde alios magistratus in privatam domum cogendos procurat. Constitit inter omnes, tutissimum videri conjunctionis capita quam primum in potestatem redigere. Tum dimissi qui domesticatim patricos vocarent, quique plebejos etiam, quos conjunctionis expertes ex ipso indice cognoverant. Sexdecim illi, vel (ut alii ajunt) decem

*Conspiratio
daregitur.*